



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Vtrùm positivum quod addit suppositum supra naturam sit
modus vel res.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

dentalis, si antecedens enim illius argumenti loquatur de modo positio substantiali falso asserit, & sic ut falsum illud antecedens negamus, quia non est verum dicere suppositum constitui ante omnem modum substantialem; imo subsequitur ad omnem modum substantialem; nam subsequitur ad actionem substantialem productivam illius. Deinde subsequitur ad unionem constitutivam naturam suppositi, ac tandem sequitur ad terminum substantialem constituentem ipsum suppositum, tanquam constitutum ad constitutum, si autem loquatur antecedens illud de modo accidentali, verum est, ut iam explicuimus, & patet ex dictis.

41 Ad tertium concedo maiorem, & nego minorem: ad huius probationem nego maiorem, non enim ideo precise substantia panis dicitur converteri in Corpus Christi, quia ex vi praesentiae Corporis Christi desinat, sed potius quia Corpus Christi in quod convertitur, terminat aliquam physicam mutationem seu actionem in se, ratione cuius existimatur terminus ad quem conversionis, quia ex vi consecrationis reproductur ibi ipsum Corpus Christi, ut asserit P. Suar. 3. tom. 3. partis. Deinde substantia creata non desinit, ut desinit substantia panis, cum ante naturae assumptionem illa non existisset, ac per consequens non fuit conversa.

42 Ad ultimum respondeo cum P. Suar. non solum non esse inconueniens id quod intelligit Scotus esse tale, verum potius esse necessarium ad explicandam veritatem mysterii Incarnationis, videlicet quod Verbum non assumpsit in humana natura aliquam positivam rationem personae, quae modo sit, quia hoc necessario petitur a Conciliis, ex quo non sequitur illam naturam non esse perfectam in esse naturae, sed quod sequitur est non esse personam, & ita intelligendus est Damascenus, dum ait Verbum assumpsisse quicquid ad veritatem humanae naturae pertinet, & ad formalem humanitatis constitutionem.

43 Ad futile argumentum Durandi responderetur concedendo maiorem, & negando minorem, quia si illa natura non esset cum suppositivitate distincta ex natura rei ab ipsa, non esset homo; sed solum humanitas; unde materia, forma & unio sine modo positio ex natura rei distincto ab illis non potest cum veritate dici homo, sed humanitas; praeterea sequeretur quod in Christo essent duae personae, quia si personalitas non distinguitur a natura non destructa natura non potest destrui personalitas, quia impossibile est idem esse simul, & non esse; unde si in Christo datur personalitas divina, & datur simul natura humana, & natura humana est idem quod personalitas humana; ergo datur etiam personalitas humana; sed personalitas humana, & divina sunt duae personalitates.

QVÆSTIO III.

Utrum positium quod addit suppositum supra naturam sit modus vel res.

P R I M A sententia est Caiet. 3. part. q. 4. art. 2. & Ferrari. cap. 4. contra Gent. cap. 43. (eam sequitur P. Valentia tom. 4. disp. 1. q. 4. pag. 2.) asserens suppositivatem non esse modum, sed rem hanc L. P. Tom. 11.

etiam sententiam tuetur P. Albert. 2. tom. colo. disp. 3. q. 7. num. 13. eandem sequitur P. Hurt. disp. 1.1. Met. sect. 5. Et probatur sic, ab hoc Authore, quia omnis modus naturae est essentialis determinatio illius ad aliud, sed nullum suppositum creatum est essentialis determinatio naturae ad aliud: ergo nullum suppositum creatum est modus naturae; maior probatur tum inductione in omni modo praeter substantiam, unio enim determinat inuicem extrema, quorum est unio ad compositum, & ad se ipsa, actio agens ad effectum, vel terminum, ubi corpus ad locum; tum etiam quia modus est ad tollendam indifferentiam unius rei ad aliam, res enim determinata ex suo conceptu ad aliquid non indiget aliquo conceptu à se distincto, ut ad illud determinetur, ut albedo determinata ex se, ut possit dealbare in genere causae formalis, non indiget aliquo superaddito ad hanc virtutem, esto indigeat unione, ut actu dealbet, quia ex se non est determinata ad actum secundum dealbationis; minor vero ita probatur, quia vel suppositum determinat naturam, ut sit independens ab alio, vel ut existat per se, & non in alio supposito, sed ad neutrum determinat, nec determinate potest: ergo non ut sit independens ab alio, tum quia independentia ab alio est negatio, seu conceptus negatiuus, sed nullus conceptus positivus esse potest determinatio, seu modus ad aliquem conceptum negatiuum ob independentiam essentialis positivi à negatiuo: ergo praesuppositum non determinatur ad illam.

Deinde nec suppositum determinat naturam ut habeat rationem essendi per se, & non in alio supposito, tum quia natura non habet indifferentiam ad varia supposita specie distincta, sed adstricta est de se ad suppositum proprium; indifferentia vero illius quantum ad individuationem tollitur per unionem ad hoc potius suppositum individuum humanum, v. g. si fuerit natura humana quam ad aliud: ergo suppositum non determinat naturam ut habeat rationem essendi per se, & non in alio supposito. Tum etiam quia incommunicabilitas naturae alteri ut supposito, non potest esse terminus ad quem determinat suppositum naturam, quia incommunicabilitas sicut & impenetrabilitas sunt conceptus negatiui, ortum habentes ex conceptibus positivis suppositi creati, & quantitatis, unde sicut quantitas non est modus quia illam consequatur impenetrabilitas, ita nec suppositum creatum, quia illud consequatur incommunicabilitas naturae alteri ut supposito: ergo.

Secundo sic probatur, ut ait P. Hurtadus argumento quidem non evidente, sed magnam facienti fidem; nam Verbum divinum non potest supplere effectum modi, tum quia sicut forma substantialis, licet sit substantia, quia in conceptu formae includit imperfectionem, non potest suppleri à Verbo; ita suppositum modale, licet habeat rationem communem suppositi, quia tamen habet communem imperfectionem modi non videtur posse suppleri.

Video responderi posse non posse à nobis dijudicari quanta convenientia requiratur, ut possit supplex formalis effectus; nam etiam suppositum creatum, licet sit res, habet tamen communem imperfectionem complementi.

Sed maior, cum proportionem ita comparantur Verbum, & suppositum creatum, ut utrumque sit terminus non modalis, sed realis, & utrumque

vnatur vnione à se distincta, ita vt vnio respondeat vnioni, vel suppositum supposito.

Tertio sic probatur, quia subsistentia, seu suppositualitas creata distinguitur à parte rei à natura; sed non distinguitur vt modus à re: ergo vt res à re: consequentia est evidens in nostris principiis, nos enim inter extrema positiua à parte rei solas distinctiones rei à re, vel modi à re cognoscimus; maior etiam à nobis admittitur: minorem ita probat Albert. modus non habet aliam realitatem à realitate rei cuius est modus; vnde vt realitatem habeat, innititur ipsi rei, tanquam fundamento suae realitatis, sed implicat subsistentiam inniti naturae, cum natura potius illi innitatur: ergo subsistentia non est modus, sed potius erit res, cum habeat aliam realitatem à realitate naturae.

6 Si respondeas substantiam vt quo constituere naturam per se, naturamque in illa inniti, subsistentiam vero vt quod inniti naturae illique communicari.

7 Contra erit, quia nunquam ratio vt quo potest habere modum oppositum effectui formali quem praestat, non enim potest dici, quod existentia vt quo faciat existere, & vt quod non existat, & quod duratio faciat durare vt quo, & quod ipsa vt quod non dureret, cum quia rationes formales seipsis sunt tales, cum etiam quia formae dant effectus formales, communiando se ipsas: ergo non possunt habere in seipsis esse oppositum effectui formali, quem communicant; quare si subsistentia est ratio formalis vt quo, perfectatis independentiae naturae in alio, ipsa non poterit vt quod habere modum oppositum existendi, innitendo scilicet in natura & per substantiationem.

8 Quarto sic probatur, quia natura substantialis est imperfecta & limitata: ergo indiget substantiante: ergo substantians debet esse aliquid realiter distinctum ab illa: antecedens, & prima consequentia communiter admittuntur. Secunda vero consequentia probatur, modus non potest habere rationem substantiantis cum potius modus substantietur à re cuius est modus, & in illa innitatur: ergo debet dari aliqua realitas distincta, quae non solum naturae tribuat modum essendi per se, sicut tribuit subsistentia diuina naturae diuinæ, sed etiam tribuat substantiationem ipsi naturae creatae propter suam imperfectionem.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

9 Conclusio: suppositualitas non est res, sed modus: probatur primo, quia natura essentialiter completa substantialis in existentia habet potentialitatem, vt compleatur à suppositualitate in esse substantiae, tanquam ab ultimo termino. & vltima actualitate in illa ratione: ergo suppositualitas est modus naturae; antecedens sic probatur, quia in sententia P. Hurt. suppositualitas est vltimus terminus, & vltimum complementum naturae in existentia, &c. & est distincta entitas à parte rei ab ipsa natura, vt patet ex mysterio incarnationis perficientis; naturam in ratione suppositi, & actiui illam, suppositualitas enim actus est respectu naturae, & ideo in sententia omnium DD. reducitur ad causam formalem, quae necessario actus est: ergo natura est potentia respectu

subsistentiae, quia in his subiectis à quibus forma, vel quasi forma re ipsa distinguuntur, datur vera ratio potentiae, & forma sunt veri actus respectu talium subiectorum; vt videre est in forma caeli empirici, & in intellectu respectu animae; & sine controuersia in intellectione, & volitione respectu intellectus, & voluntatis: sed natura à parte rei distinguitur à suppositualitate, & est vnita illi, non vt actus alteri actui, quia duo actus nunquam vniuntur: ergo vt potentia actui, ita vt natura sit potentia; suppositualitas autem sit illius actus vltimus, quia vltimo complet, & terminat naturam, fin eo quod suppositualitas amplius terminabilis, & actuabilis sit, v.g. ibi dicitur vltima actualitas, & determinatio subiecti praesentis, quia est entitas ex natura rei distincta à subiecto, & ita determinat, & actuat intrinsece illud in ordine ad locum, & ipsa praesentia seu vbi amplius non sit actuabile, & determinabile: ergo similiter si suppositualitas est intrinsece in natura, & distinguitur in re ab ipsa, & est in ratione terminandi vltimum, ita à se formaliter vt in genere causae formalis non habeat esse ab alio: ergo natura habet potentialitatem respectu illius, tanquam respectu vltimae actualitatis, & determinationis à qua vltimo determinatur; & actuat in illa ratione natura, quae de se non est suppositum, sed est tale per participationem à suppositualitate distincta à se à parte rei, in quo distinguitur natura creata ab increata, quae per relationem identificatam cum sua entitate est suppositum, & ita non habet aliam actualitatem vltimam distinctam à se, vt habet natura creata, quae si vltimo debet actuari, necessario est vt talis actio fiat per suppositualitatem aliam in re ab ipsa, & vocatur vltima actualitas, quia correspondet potentialitati naturae sine aliqua potentialitate ex parte ipsius, quia ipsa non est amplius actuabilis, sed tota actiua in ratione suppositi terminatur & sistit vltimo in ipsa suppositualitate, cum habeat à se, & per se quod natura per participationem ab ipsa.

Consequentia praecipua, & prima sic probatur, 10 quia omnis vltima actualitas, & determinatio in aliquo genere est modus illius rei cuius actualitas & determinatio vltima est; sed suppositualitas in constitutione suppositi est vltima actualitas, & determinatio naturae: ergo est modus naturae. Maior est evidens, quia omne vltimū alicuius rei est modus illius, quod adeo verum est, vt etiam Metaphysica loquendo, quia indiuiduatio est vltimum in constitutione essentiali, & terminus illius dicitur modus essentiae; vno autem quia est vltimum in illo genere, cum vnibilitas partium sistat vltimo in vnione est modus, actio est vltimum respectu potentiae agentis, & sic est modus illius; & punctum vltimum indiuisibile, mirum quia tale est modus, & ratio à priori est, quia nulla res potest esse vltima actualitas, & vltima actualis affectio rei, cum omnis res respectu sui effectus formalis possit esse in potentialitate, saltem diuinitus vt videre est in panem quantum, sed tantum in potentia; & sic vt reddat panem quantum indiget alia actualitate vnionis ad panem, quae vltima est, quia non est amplius actuabilis; ipsa autem res cum sit amplius, & amplius vltima actualitas, non potest esse vltima actualitas, vltimum complementum, seu vltimus terminus rei, cum ab illa detur progressio ad aliud, & aliud propter indifferentiam cuiuscunque rei vt amplius, & amplius actuetur, ex eo quod res est; exemplis

exemplis manifestis ostenditur, materia enim prima est actuabilis per formam substantialem, v.g. per animam rationalem tanquam per actum essentiali ipsius, etiam est actuabilis per formas accidentales, v.g. per quantitatem, & quia quantitas etiam est res, est iterum actuabilis per qualitates, donec per figuram ultimo actentur; tam quantitas quam qualitas in qua actuatio- ne sistit, ac terminatur ultimo progressio omnium actuacionum materię primę, ita ut ultima actualitas illius ex parte suę passionis scilicet quantitatatis quiescat in figura, ratione cuius figura ipsa ultima actualitas dicitur, quia in ipsa finitur tota actuatio supradicta, figura nullo modo est ulterius actuabilis, & non ob aliam rationem, quia est modus, nam si vel non esset modus sed res, haberet indifferentiam, ut ulterius actuaretur, & sic non esset ultima actualitas, ut videre est in omni re, quę vera realis entitas est, nam omnis res corporea aut est substantia, aut est quantitas, aut est qualitas, sed tam substantia, quam quantitas, & qualitas sunt ulterius actuabiles, quia substantia per quantitatem, quantitas per qualitatem, & vtrique per figuram actuatur, figura autem, quia modus est non est amplius actuabilis, & sic est ultima actualitas, quia modus est: ergo e contra rei, quia res, non potest competere ratio ultimę actualitatis, tum quia res ut res est, cum non consistat in actualitate habet semper indifferentiam ad ulteriorem actuacionem, quod e contra euenit in modo, cuius essentia consistit, in actualitate sine aliqua potentialitate, ratione cuius potest esse ultima actualitas, seu finis, & terminus actuacionis rei, tum etiam quia quod alicui membro diuidenti aliquam rationem communem conuenit aliquod prædicatum propter rationem propriam, & differentiam particularem ipsius membri diuidentis, tale prædicatum nullo modo potest competere alteri opposito membro diuidenti rationem communem diuisi, sicut quia homini conuenit quatenus homo est libertas in operando, talis libertas non potest competere bruto, sed modo quia modus est, & quatenus actualitas est, competit non esse amplius actuabile, & ideo competit ei esse ultimum in actuacione: ergo hoc prædicatum scilicet esse ultimum in actuacione aliqua non potest competere rei, quatenus res est, si quidem est membrum oppositum respectu modi in diuisione entis ut sic, ens enim adæquate diuiditur in rem, & modum.

Deinde actuatio materię primę per actum substantialem, scilicet per animam rationalem, non sistit in ipsa anima rationali, quia ipsa anima rationalis etiam iterum actuatur per alium actum accidentalem, scilicet per voluntatem, & intellectum, & intellectus ulterius actuatur per intellectum, intellectus autem actuatur per inhærentiam, tanquam per ultimum terminum, in qua tota actuatio illius ordinis sistit, & conuiescit, quę certe non conuiesceret, nec sisteret si iterum inhærentia illa esset res, tum quia non esset maior ratio huius quam cæterarum rerum, tum quia haberet potentialitatem & indifferentiam propriam rerum ad ulteriorem actuacionem: ergo res ut res non potest esse ultima actualitas in aliquo genere, nec ultimum complementum, seu terminus in illo ordine, & genere; quod sic demonstratur, quia substantię conuenit, ulterius actuari tam accidentaliter quam substantialiter; substantialiter per substantiam, accidentaliter per accidentia, sed non conuenit ei talis ulterius actua-

bilitas, quia substantia est, quia si quatenus substantia est conueniret ei solum talis actuabilitas nulli alteri, quę non esset substantia conueniret, sicut quia homini ut sic, quia homo est conuenit esse rationale animal, nulli alteri quod non est homo conuenit esse rationale, sed non solum substantię, sed etiam quantitati & qualitati conuenit ulterius actuabilitas: ergo non conuenit illi in quantum substantia est, sed potius quatenus conuenit in aliquo prædicato cum quantitate, & qualitate, quatenus distinguuntur ab omnibus modis, sed tale prædicatum in quo conueniunt, & per quod distinguuntur ab omnibus modis, ratione cuius conuenit substantię esse ulterius actuabilis, non est aliud nisi realitas: ergo substantię quatenus res est, & vera realitas est ulterius actuabilis: ergo omnis res quatenus res est distincta à modo petiit esse ulterius actuabilem: ergo nulla res quatenus res est, potest esse ultima actualitas & ultima determinatio, nec ultimum complementum, sed substantia est ultima actualitas naturę substantialis, in qua sistit tota actuatio substantię, nam materia prima actuatur per formam, ex qua actuacione constituitur essentialiter natura completa, talis autem natura ulterius actuatur per supposititalitatem compositam, sicut natura Angelica simplex actuatur etiam per supposititalitatem simplicem spirituales, tales autem supposititalitates, non sunt amplius actuabiles: ergo sunt ultima actualitas, ultima determinatio, & ultimum complementum naturę substantialis: ergo euidenter sequitur talem supposititalitatem non esse rem, sed modum substantialem.

Dices, licet ex hac parte videatur probari supposititalitatem esse modum, nihilominus absolute non conuincere argumentatione factam supposititalitati conuenire entitatem modalem, quia non est determinatio ad alterum, omnis enim modus determinatio ad alterum est.

Contra, quia adhesio passiuæ creationis in termino creato est modus ipsius, sed illa adhesio passiuæ non est determinatio ad aliud; ipsa enim actio creatiuæ, quatenus adheret suo termino, vocatur adhesio passiuæ, sic enim adherendo ad nihil aliud determinat, non ad agens, quia ad agens determinatur per actionem, quatenus producit illud esse, non autem quatenus passiuæ adheret: ergo falsum est dicere quod omnis modus est determinatio ad aliud, & sic bene poterit esse supposititalitas modus, sine eo quod sit determinatio ad aliud, quod autem talis adhesio creationis sit modus, sic patet, quia ipsa entitas creationis est modus: ergo quęcumque denominatio ab illa est etiam modalis, modus enim non potest inducere rationem rei sub quacunque ratione, ratio autem euidentis est, quia nihil aliud est modus nisi entitas tam debilis, & imperfecta, quę sine re cuius entitas est, non potest per potentiam Dei absolutam separata conseruari, sed adhesio passiuæ creationis in termino creato non potest diuinitus separata conseruari sine termino: ergo essentialiter est modus.

Item probatur hoc exēplo generationis passivę, quę passio vocatur, & constituit distinctum prædicamentum à generatione, quatenus, quatenus actio est, talis enim passio generationis, sine dubio entitas modalis est, quia identificatur cum generatione quę vere modus est: atqui talis passio non est determinatio ad aliud: ergo bene potest esse modus aliquis sine determinatione ad aliud.

Dices, nec ratione posse distingui formalitates creationis, & passivæ adhesionis in illa.

14 Contra, quia illa quæ in communi separantur in individuo possunt ratione separari, sed adhærere ut sic potest dari in formalitate non productiva & omnipotentia Dei est formalitas productiva sine adhærentia: ergo per intellectum poterit separare, producere, ut actio, & ut fluxus ab agente à passiva adhærentia in termino, quæ ut sic vocatur passio adhærens, sicut actio recepta in materia prima vocatur passio inhærens: ergo illa adhærentia passiva, & ipsa formalitas producendi, non sunt una, sed duæ formalitates per intellectum.

Secundo contra evidenter probō non omnem modum debere esse determinationem ad alterum, quia figura, v. g. hominis, & figura circularis, quadrangularis, &c. item situs corporis sunt modi vere, & realiter; quod patet evidenter, quia figura hominis, figura circularis, quadrangularis, & triangularis sunt actuales affectiones quantitatis, & non possunt adhuc diuinitus sine quantitate conservari, separate ab ipsa, hoc enim est evidentissimum indicium ab omnibus Metaphysicis acceptum, & à Theologis defensum, & conservatum, ratione cuius distinguuntur entitates modales à realibus, ideoque asserunt unanimiter quantitatem in Eucharistia non esse modalem entitatem panis, sed realitatem veram, quia separata à pane conservatur in Eucharistia: ergo figura hominis, quæ non potest separata consistere eo modo quo vnio, actio, & sessio à re cuius est figura, erit sine dubio modus, & nihilominus minime est determinatio ad aliud, ad quid enim determinatur homo per figuram exteriorem hominis: ergo falsum est dicere quod modus est determinatio ad alterum. Præterea situs sine dubio est modus, quia nihil aliud est quatenus distinguitur ab ubi, nisi dispositio partium, quæ per ubi erant in loco resistentis ex ubi ratione, ut asserit ipse P. Hurt. sed illa dispositio non est ordinatio ad aliud, nam si aliud esset ad quod ordinaretur, esset locus; sed non est ordinatio ad locum, cum hoc sit minus ubi, seu præsentia à quo resultat situs: nam ad eundem terminum non possunt ubi & situs ordinari, quia iam superflueret, aut situs, aut ubi: ergo situs non ordinatur ad aliud, licet sit modus: ergo non omnis modus est ordinatio ad aliud, quod autem sit modus patet, quia ut ait P. Hurt. in *Physicis*, disp. 14. sect. 5. in fine. Situs resultat, vel dimanat ab ubi, sed ubi est modus sine dubio, ut ipse Hurt. in *Met.* asserit, disp. 2. sect. 6. quodque fatetur ab omni Schola Metaphysicorum, ideoque prædicamentum ubi dicitur ab omnibus prædicamentum modale, & à modo non potest resultare res, alias effectus esset perfectior sua causa: ergo situs, qui resultat à modo ubi, non est res, sed modus.

15 Deinde, quia æuum, vel duratio Angelica est modus Angeli: sed talis modus non est determinatio ad aliud, quia non est ad tempus, tempus enim uti successivum, & diuisibile non potest esse mensura homogenea ubi, quia æuum est superioris ordinis respectu temporis; mensuratum enim non potest esse perfectius mensura, nec est determinatio ad æuum imaginarium, quia illud ut sic est ens rationis, solum enim datur spatium permanens supra cælum, quod licet imaginarium vocetur, est tamen reale vacuum, tempus autem imaginarium, & æuum imaginarium sunt entia rationis: sed ens reale uti est æuum Angelici, non potest ordinari ad ens rationis: ergo

æuum Angeli, quod est modus illius non est ordinatio ad alterum.

Præterea, omnis modus habet siue à parte ante, siue à parte post mutatum esse, quod est aut primum, aut vltimum indiuisibile, siue initiatum, siue terminatum, & in linea dantur primum, & vltimum indiuisibile, per quod tam à principio, quam à fine terminatur, sed tam mutatum esse, quam indiuisibile lineæ sunt modi, & non sunt determinationes ad aliud, sed solum termini rei: ergo falsum est dicere quod omnis modus est determinatio ad aliud, ratio autem à priori potest dari, quia omnis terminus rei eo quod vltimum illius est, debet esse modus rei conueniens illi, quatenus finita, & limitata res est omne enim finitum, & limitatum debet habere terminos quibus claudatur, sed inter res finitas, & limitatas, quædam sunt absolute, & quædam relatiue: ergo vnaqueque debet terminari, & habere terminos suæ naturæ proportionatos, ita ut res absoluta terminetur termino absoluto, ut ait Aristoteles *lib. 3. Physic. cap. 8. text. 74.* his verbis, aliud præterea est tangere, aliud esse terminatum; illud enim ad aliud est, quod vero terminatum est non est ad aliud, & relatiue relatiue, & ad aliud: atqui terminus absolutus non est ad aliud, & omnis terminus est modus: ergo datur modus absolutus, qui non sit ad aliud, quare nullo modo poterit assignari ratio, quæ cogat asserere nullos dari modos absolutos, cum concedantur à P. Hurt. modi relatiui.

16 Præterea, quia suppositalitas est determinatio non solum in existentia, ut ait ipse Hurt. sed etiam ad operandum, id est ut sit proxima potentia in homine ad operationes eliciendas, actiones enim suppositorum sunt, quia suppositum est quod vere operatur per potentias; unde suppositalitas est ratio sine qua non potest operari potentia: sed potentia, & operatio sunt aliud à supposito, & à natura, & suppositalitas est determinatio naturæ ad operandum: ergo iam est determinatio, & complementum naturæ ad aliud: ergo ex hac parte potest esse modus.

17 Ratio autem euidens à priori nostræ veritatis est, quia natura habet potentialitatem, & indifferentiam ad essendum in hoc supposito proprio numero, & individuo, & in alio proprio in infinitum, quia infinitæ supposititates numero distinctæ propriæ possunt vniiri, & etiam est indifferentia natura ut sit in alieno supposito: ergo quando suppositatur, habet suppositalitatem per quam tollatur illa indifferentia, & exerceatur talis potentialitas: ergo talis suppositalitas se ipsa est determinatio illius naturæ, & non est indifferens ad illam, & ad aliam, unde per se ipsam erit actualitas, seu actualis, & vltima affectio naturæ, unde non erit res sed modus, quia omnis res habet indifferentiam, & potentialitatem, & sic per se ipsam non potest esse determinatio, quod ipse Hurt. aperte fatetur. Consequenter quoad primam partem sic patet, quia si suppositalitas illa se ipsa non esset determinatio, & per suam essentiam esset indifferens, ut determinaret per aliud, & sic per participationem ab alio determinaret: ergo egeret alia determinatione tolente indifferentiam illius, de qua iterum interrogaremus idem ipsum, & sic procederet in infinitum, sed non est concedendus processus infinitus: ergo sistendum est in prima suppositationalitate, quia non est maior ratio vnus quam alterius; unde per suam essentiam erit determinatio. Et

Quaest. III. Vtrum hoc positiuum, &c. 69

18 Et si dicas non dari indifferentiam in natura ad alienum suppositum, nisi diuinitus, seu in ordine ad potentiam diuinam, à qua non debet colligi essentia rerum.

19 Contra, quia ipse per P. Hurt. lib. 6. sect. 6. illius *disputationis*, ait ex potentia absoluta posse recte venari indifferentiam rei, & rationem modi, nam colligit vnionem esse modum, sic fortitur essentiam modi vnio vnus rei cum alia; nam cum duæ res, vel sint indifferentes ad vnionem, vel possint diuinitus esse sine illa; item cælum empyreum habet indifferentiam ad hanc formam, vel aliam, sic ille, licet solum per potentiam Dei absolutam possit illi hæc numero forma à materia tolli: ergo bene venatur rationem modi in suppositualitate, & indifferentiam naturæ etiam in ordine ad potentiam absolutam, præcipue quia indifferentia naturæ ad hanc numero suppositualitatem propriam, vel ad aliam propriam etiam individualiter distinctam probabilius vocatur naturalis, & solum extrinsece, & secundum quid supra naturam, vt est potentia materiae ad formam iam amissam.

20 Deinde probatur hæc conclusio efficaciter omnibus argumentis, quibus vsi sumus *disp. 1. Met. quaest. vltima, concl. 2.* ad probandum secundam facilitatem habitus non esse modum, sed rem opposito modo tamen, quia hic debemus probare illis demonstrationibus, præcipue argumento primo eiusque confirmatione, vltimoque illius conclusionis suppositualitatem non esse rem, sed modum.

21 Tertio probatur principaliter, si quia suppositualitas non esset modus, sed res, non esset accidens, sed substantia simpliciter, & absolute realis, quia cum illa deberet esse complementum substantiæ in esse talis, & deberet constituere suppositum, quod est ens per se substantiale, necessario deberet esse substantia absolute, & simpliciter: tum sic, illa substantia non esset materia, quia non reciperet formam substantialem: ergo esset forma substantialis; paret consequentia, quia nihil aliud est forma substantialis, nisi actus substantialis, & perfectio substantialis vera: sed suppositualitas est actus substantialis veraque perfectio substantialis: ergo suppositualitas esset vera forma substantialis, maior est euidens ex definitione Philosophi, qui sic definit formam substantialem: forma est actus vnus per se constituens cum materia, quod adeo verum est, vt etiam accidentia dicantur formæ accidentales, ex eo quod sunt actus accidentales, nam propriissima ratio formæ in actuando consistit, quare sine dubio verum est formam substantialem esse actum minor sic probatur, quia natura perficitur substantialiter per suppositualitatem, ac completur in sua vltima perfectione, sine dubio enim, si per possibile vel impossibile deficeret absolute, & omnino omnis suppositualitas, deficeret magna perfectio naturæ, & conditio maxime necessaria ad operandum; contra vero natura dum est in supposito, est in vltima perfectione sibi debita, à qua maxime perficitur ac decoratur ipsa natura: sed omnis perfectio est actus vt constat ex ipso P. Hurtad. probante vnionem esse actum vtriusque partis, ac proinde debere subiectari in illis, quia est perfectio vtriusque: ergo forma, quæ perfectio est naturæ, est actus illius, præcipue quia omnis potentialitas, seu indifferentia debet actuari, & determinari per actum determi-

natum, & ideo materia prima quia potentialitas est, determinatur, & actuatur vere, & proprie per actum substantialem qui est forma, & potentia vitales vt intellectus & voluntas, quia potentialitates sunt, actuantur per actus intelligendi, & volendi, tanquam per veros actus proprios: sed natura substantialis non est actus per seipsam suppositualitas ipsius, siquidem diuinitus potest separari ab illa, & ex alio capite respicit talem suppositualitatem cum indifferentia ad aliam, & tanquam quid perfectibile ab illis: ergo tanquam potentia ad suum actum: ergo tanquam potentia suam formam substantialem, ita vt sint in eodem ordine, & primario se respiciant. Tum sic, hæc substantia, quæ actus est, & perfectio naturæ ex sua essentia est actus, & perfectio illius: ergo ex sua essentia est forma substantialis naturæ; paret hæc consequentia, quia eo modo est aliqua entitas forma, quo est perfectio, & actus: sed talis suppositualitas, quæ substantia realis est ex sua essentia, & ex prædicatis essentialibus propriis est perfectio & actus, ita vt non sit amplius perfectibilis, & actuabilis essentialiter, cum ex sua essentia petat vltimo aduenire naturæ, tanquam complementum ipsius: ergo ex sua essentia est forma essentialiterque talis debet appellari, quod autem ex sua essentia sit perfectio, & actus sic patet, quia ex sua essentia & prædicatis essentialibus propriis est instituta talis suppositualitas, ad suppositandam naturam complendam illam, & constituendam ipsam in vltima sua perfectione, & sine in supposito nimirum, finis enim constitutionis naturæ est suppositum.

Deinde, quia hæc substantia realis de qua loquimur ex sua essentia est constitutum suppositi: sed suppositum est constitutum perfectum omnibusque numeris absolutum: ergo suppositualitas vt constitutum est, debet esse perfectior, quia perfectum est effectus formalis perfectionis, sicut animatum effectus formalis animæ, & album effectus formalis albedinis: atqui effectus formalis debet esse sicut est forma: ergo suppositum quod est effectus formalis perfectus debet esse à forma, quæ perfectio sit: sed forma constituens suppositum est suppositualitas: ergo forma quæ constituit perfectum est illa, suppositum enim perfectum est vt diximus: ergo talis substantia realis, quæ suppositualitas dicitur ex sua essentia, & essentialiter perfectio est: ergo essentialiter actus est; ac proinde essentialiter erit forma, præcipue quia non habet aliud munus ex sua essentia talis substantia, præter constituere suppositum, perficere, seu actuare naturam, & si aliud habet, ostendant aduersarij, quod nullo modo ostendunt; cum autem constituere suppositum, perficere naturam & actuare illam sit munus perfectionis & actus, & actus sit forma suppositualitas, cuius munus hoc est, erit forma actus, & perfectio: atqui tale munus non conuenit suppositualitati accidentaliter, & secundario, sed primaria institutione, & ex vi essentia ipsius suppositualitatis: ergo suppositualitas est essentialiter forma substantialis: sed forma omnis essentialiter substantialis petit potentiam passiuam essentialiter substantialem primario, & per se respicientem talem actum, seu formam: ergo natura quæ respicit suppositualitatem primario, & per se essentialiter respicit illam tanquam potentia passiuam essentialis suum actum essentialiter.

essentialiter, sed ex actu essentiali, & ex potentia passiva essentiali resultat totum essentialiter, ideo enim ex materia prima, & ex anima rationali resultat totum essentialiter, quia anima rationalis est actus essentialis materiae primae, & materia prima est potentia essentialis talis actus: ergo ex unione naturae, & suppositivitate resultat quoddam totum essentialiter substantiale: ergo tam suppositivitas, quam natura, sunt partes essentielles illius totius, eo enim modo sunt partes, quo est totum: sed compositum ex suppositivitate, & natura est totum essentialiter: ergo suppositivitas, & natura sunt partes essentielles: ergo sunt partes essentialiter incomplete: ergo compositum ex anima rationali, & corpore non est homo completus essentialiter, nec est tota essentia hominis, quia id cui deficit aliqua pars essentialis non est essentialiter complete tale: sed composito ex materia, & anima rationali deficit alia pars essentialis, scilicet forma essentialis, cum qua componebat unum totum essentialiter: ergo illa non est essentialiter homo completus, sicut sola anima non est tota essentia hominis completa, quia deficit alia pars essentialis hominis cum qua essentialiter componit ipsum hominem, ex quo maximum absurdum in fide sequitur, nimirum quod Christus non sit homo essentialiter completus. Pater hoc quia in Christo Domino tantum est humanitas, sed humanitas non est totum essentialiter completum, quod vocatur homo, seu completum essentialiter compositum humanum, cum deficiat illi alia pars essentialis realis, quae de facto in nobis qui sumus veri, & essentialiter completi homines, componit essentialiter hominem: hoc autem absurdum sine dubio maximum est in fide, asserente Christum Dominum habere essentiam hominis completissimam, & nihil pertinens ad essentialiter constitutionem hominis in ipso deficiente; hoc enim definitum est in Concilio Ephesino oecumenico contra haereticos, asserentes in Christo Domino non dari animam rationalem, ex eo quod divinitas, ut ipsi Fanatici delirantes somniabant, loco animae rationalis constitueret cum materia totum compositum hominis, huius enim haeresis poenitus, & funditus labefactanda causa sacrosancta illa oecumenica Synodus legitime in Spiritu sancto congregata, ac divino numinis instinctu afflata decrevit in Christo Domino omnes partes essentielles ad hominis essentialiter constitutionem necessarias existere sine dubio; alias, ut ait ipsum Concilium, asserter humani generis non redemisset totum hominem essentialiter, nec sanaret totum infirmum, sed solum partem illius, in quo certe maxima iniuria irrogaretur Christo Domino, siquidem sequeretur ex tali iniqua assertionem, nec perfecte, nec complete Redemptoris, ac divini medici manus implevisse. Tum sic illa substantia realis, quae essentialis pars hominis est, quaeque à vobis falso suppositivitas dicitur, deficit in Christo Domino: ergo deficit aliqua pars essentialiter pertinens ad constitutionem hominis, quod est aperte contra Concilium, ne igitur his angustiis concludaris, ne itidem in hac absurda incidas, obsecro te amice, ut suppositivitatem potius modum quam rem fatearis.

²² Dices suppositivitatem non esse de essentia hominis, quia licet ipsa essentialiter ordinetur

ad naturam; natura tamen non essentialiter ordinatur ad illam, ac proinde licet illa substantia ex vi suae essentiae, & primaria institutione sit actus perficiens naturam, & ideo primario, & essentialiter respiciat illam; natura tamen non respicit primario, & essentialiter ut perfectibilis essentialiter, ac per consequens ut potentia passiva talem actum substantialem essentialiter, quia bene potest quaedam perfectio essentialiter respicere primario, per se, & essentialiter aliquod subiectum, & nihilominus tale subiectum non necessario respicit primario, & essentialiter quantum est ex se talem perfectionem, sed potius secundario, & tanquam quid extra essentiam eius: exemplum potest poni apertissimum ad hanc materiam explicandam in risibilibus, in intellectu, & voluntate, ac ceteris potentiis accidentalibus; risibiles enim ex sua essentia primario, & per se essentialiter est perfectio, & actus hominis, quia per ordinem transcendentalem, & essentialiter respicit hominem perficiendum per illam, & ideo in omnium sententia ordo per quem respicit accidens substantiam, tanquam perfectio eius, est essentialis accidenti, & nihilominus substantia non respicit essentialiter, & primario accidens: ergo similiter licet illa substantia, quae suppositivitas est, respiciat primario, & essentialiter naturam, bene poterit natura non primario, & essentialiter, sed secundario respicere talem suppositivitatem; ex quo sequitur necessario suppositivitatem non esse partem essentialiter hominis, atque adeo in Christo nullam deficere partem, quae ad essentialiter constitutionem hominis pertinet.

Sed contra, quia quando perfectio, & perfectibile, potentia, & actus sunt in eodem ordine, impossibile est quod actus respiciat essentialiter potentiam, & potentia non respiciat essentialiter, & primario talem actum, tanquam terminum primarium, & essentialiter specificationem ordinis, seu relationis transcendentis existentis in tali potentia: sed illa suppositivitas supposito quod est substantia realis, & actus essentialis naturae est in eodem ordine omnino, ac est ipsa natura perfectibilis per talem actum: ergo talis natura primario per se, & essentialiter respicit talem actum substantialem, tanquam perfectionem essentialiter illam perficientem.

Maiores sic patet, quia ideo materia prima respicit primario, & essentialiter, tanquam proprium, & essentialiter actum specificationem suae relationis transcendentis, formam substantialem, verbi gratia, animam equi, vel animam rationalem, quia anima equi, & quaecunque forma substantialis, quae actus est talis materiae, est in eodem ordine primario, ac est materia prima; nam si materia prima est in ordine substantiae realis absolute, etiam forma substantialis est substantia realis absolute primario, & per se; è contra vero ipsa materia prima non respicit primario per se & essentialiter accidens tanquam actum primarium & essentialiter, quia accidens non est in eodem ordine primario, ac materia prima; nam materia prima est in ordine primario, scilicet ordine substantiae, & accidens est in ordine secundario, scilicet in ordine accidentali, qui secundarius ordo est, accidens enim est secundarium ens, & sic vocatur ens, ac ens per attributionem ad primarium in sententia Aduersariorum, & cum eo modo

Quæst. III. An quod addat sit modus, &c. 71

modo debeat respicere potentia actum, quo est ipse actus, & actus accidentaliter sit secundarius actus, & non primarius, quia est in secundario ordine, & non in primario, quo est potentia materiae, inde euenit necessario, quod materia non respiciat primario per se, & essentialiter ipsum accidens: ergo quando perfectio, & perfectibile, potentia, & actus sunt in eodem ordine primario, & per se essentialiter se adinuicem debent respicere primario, ita ut si actus respiciat primario potentiam, & potentia etiam debeat respicere primario talem actum sine aliqua tergiuersatione & exceptione.

25 Minor illa sic probatur, quia natura est in ordine primario entis, scilicet in ordine substantiae, & intra ordinem substantiae in primaria ratione, scilicet in esse rei, & non in ratione modi substantialis: atqui suppositivitas illa ex suppositione, quod est substantia realis, est in ordine substantiae, & intra illum ordinem in ratione superiori, scilicet in ratione rei, & non modi, & natura est potentia respectu illius, ut ex supra dictis patet, & suppositivitas illa est actus ipsius: ergo talis actus, & potentia sunt in eodem ordine, & sic necessario sequitur consequentia prima ut adinuicem respiciantur primario, & per se ex illo evidenti axioma, quod omnipotentia correspondeat, actus & omni actui correspondeat potentia cum proportionem, & ordine inter ipsa, ita ut si actus sit primario talis, potentia illum primario respiciat: sed illa substantia realis, quæ suppositivitas dicitur, est actus ex sua essentia, & natura, & non est actus secundarius, quia est in primario ordine, scilicet ordine substantiae, & intra ordinem substantiae, non in secundaria ratione, scilicet in ratione modi, sed in perfectissima ratione rei substantialis: ergo illi debet correspondere aliqua potentia primario per se, & essentialiter: sed hæc non est alia nisi natura, cum natura sit perfectibilis per talem actum, perfectibile enim potentia est: ergo natura est potentia primario per se, & essentialiter ordinata ad suppositivitatem: ergo suppositivitas vnitur per se ut constituat vnum per se essentiale cum natura, quia ex actu essentiali, & potentia essentiali vnum per se essentiale debet resultare, ut videre est in toto resultate ex corpore, & animo rationali, quod totum per se essentiale est, quia corpus, & anima rationalis, ex quibus coalescit, sunt actus, & potentia essentialis; ex quo necessario sequitur, quod tam natura, quam suppositivitas sint rationes essentialiter incompletae; ex quo maximum absurdum colligitur, nimirum, quod Verbum diuinum non poterit supplere effectum suppositivitatis; nam certissimum est Deum non posse supplere effectum primarium causæ formalis, seu actus essentialiter incompleti, sicut effectum primarium animæ rationalis, ut inconfecto est apud omnes; sed suppositivitas est forma, seu actus essentialiter incompleta: ergo Verbum diuinum non potuit suppositare naturam creatam & constituere suppositum, quia suppositum est effectus formalis suppositivitatis; atqui fide sanctum est Verbum diuinum suppositasse naturam humanam, supplensque, ac supplere de facto effectum primarium suppositivitatis creatæ: ergo signum evidens est talem suppositivitatem creatam, cuius loco sufficitur Verbum, non esse formam, nec actum essentialiter incompletum, ac per consequens non esse rem, sed modum.

26 Dices etiam si suppositivitas sit modus sequi

naturam essentialiter, ac primario, respicere talem suppositivitatem, cum suppositivitas sit actus ex sua essentia natura; & ideo debere naturam essentialiter respicere illam; ex quo colligitur naturam esse essentialiter incompletam, & suppositivitatem similiter, & cætera absurda sine dubio eruentur.

27 Contra, quia si suppositivitas est modus adueniens naturæ, supponet sine dubio naturam iam constitutam in esse naturæ: ergo suppositivitas non potest esse actus essentialis naturæ; nam si esset illi essentialis, esset hoc ex eo quod constitueret essentialiter illam in suo esse essentiali; atqui non constituit illam, sed supponit illam constitutam: ergo non potest esse actus essentialis ipsius, quia modus qui non constituit essentialiter rem, non potest esse essentialis rei, nam ideo vno substantialis inter materiam, & formam, non est essentialis materia, nec forma, quia non constituit illas in suo esse, est tamen essentialis composito, quia constituit illud essentialiter in suo esse: unde certissimum est modum non esse essentialem alicui in primo modo essentialitatis, nisi constituat illud essentialiter: atqui suppositivitas, qui modus est non constituit essentialiter naturam in esse naturæ: ergo non est essentialis hoc primo modo naturæ.

28 Alio secundo modo potest esse aliquis actus essentialis potentia, scilicet in quantum primario, & essentialiter respicit talem actum, utrum illo constituat vnum per se essentiale, eo modo quo dicitur animam rationalem esse actum essentialem materiae, non enim ita dicitur, quia constituat essentialiter illam, sed quia per ordinem essentialem, & transcendentem constituentem essentialiter ipsam materiam primario, & per se respicitur talis actus ab ipsa, sed neque hoc modo potest dici suppositivitas, si est modus essentialis naturæ: ergo nullo modo essentialis est illi, si modus est, quod aliter eueniret si esset actus realis substantialis; hæc minor sic demonstratur, quia ad hoc ut aliquis actus primario, & per se essentialiter respiciatur, ab aliqua potentia, necessario est quod talis actus sit in eodem ordine, & primaria ratione, ac est potentia ut supra diximus, & exemplis demonstrauimus: sed modus substantialis, & natura substantialis, licet sint in ordine substantiae ut sic, nihilominus non sunt in primaria ratione illius ordinis ambo, quia natura est in ordine substantiae, & in ratione realitatis absolute, quæ est primaria ratio illius ordinis, in qua sunt Deus, Angeli, homines, tanquam primariæ rationes substantiales: sed modus substantialis licet sit in ordine substantiae, nihilominus non est in primaria ratione illius ordinis, quia non est res, sed modus; modus enim comparatur cum re, cuius modus est secundaria entitas, dicitur & vocatur etiam entis ens, ac proinde modus substantialis non absolute vocatur substantia, sed cum addito, videlicet secundaria, quatum denominationum veritas originem ducit ex imperfectione, ac infirma ratione, seu debilitate modi, quæ relucet maxime in hoc ut nec esse, nec conservari, nec concipi possit sine subiecto: ergo talis natura non potest primario per se, & essentialiter respicere modum suppositivitatis, & sic hoc secundo modo non poterit esse essentialis illi.

29 Dices materiam primam primario & per se respicere vniorem essentialem, media qua vnitur animæ rationali, & nihilominus talis vno est modus;

modus: ergo licet supposititas sit modus, potest respici primario, & essentialiter à natura.

30 Sed contra, quia vnio non pri nario, & per se essentialiter respicitur à materia propter se existendo in ipsa, sed propter animam rationalem, quæ proprie primario, & per se respicitur à materia prima, quia primarius actus eius est; nam eodem ordine debet respici medium & finis, & sic eodem ordine respicitur à potentia actus, & obiectum, & eodem actu charitatis diligimus creaturas, & Deum; Deum propter se, creaturas autem non propter se, sed propter Deum, qui est finis earum, in qua ratione tendendi, licet per eundem ordinem tendat materia in vnionem, & in animam rationalem, primario tamen dicitur tendere in animam rationalem, & secundario in modum vnionis, quia modus est, sicut v.g. licet eodem actu charitatis diligamus Deum, & creaturas, primario Deum, secundario creaturas diligimus tali actu, & ideo compositio, quæ fit ex vnione, & ex materia prima, scilicet concretum illud resultans ex vnione, & materia prima, scilicet materia vnita, vt distincta à toto, non dicitur concretum essentialiter, sed substantiale tantum, nec vnio dicitur actus essentialis materia primæ, & non propter aliam rationem, nisi quia est modus, imo licet primario respiciatur talis vnio, & dicatur essentialis respectu materia, nec erit talis propter se, sed propter formam, qui est actus formalis, & essentialis materia primæ, quia cum non possit respicere materia prima formam, nisi quatenus actum ipsius materia, & non possit esse actus materia, nisi vt vnatur illi, & informetur per illam, necesse est vt non solum respiciat formam, sed etiam vnionem, media qua formaliter perficitur à tali forma: sed non per se, ac propter se cum non sit perfectus actus, sed propter formam, quæ perfecti actus essentialis rationem induit, & ratio est, quia vnio est modus, ac per consequens secundaria ratio in ordine substantiæ, & sic non potest ex se, & propter se primario, & essentialiter respici; atqui supposititas est modus, ac per consequens est secundaria ratio in ordine substantiæ: ergo non potest primario, & per se essentialiter respici à potentia reali absoluta, & essentiali, quæ est in primaria ratione ordinis substantialis, quia quod est primarium in aliquo ordine, non potest primario, & essentialiter respicere actum secundarium in illo ordine, vti est modus in ordine substantiæ; vnde supposititas, nec propter se, nec propter aliud potest respici essentialiter à natura, non propter se, quia vt dixi, est secundaria ratio in ordine substantiæ, quia est modus, nec propter aliud, quia non est ratio, nec medium formale alicuius actus primarij, & essentialis, qualis est vnio respectu formæ substantialis, quæ actus primarius essentialis est materia; supposititas enim non datur naturæ, vt per illam acquirat alium actum, sed potius vt per ipsam supposititatem terminetur, & compleatur ipsa natura, ac tandem in illa sistat actualio ipsius, quare si debeat respici supposititas, necessario propter se respicienda est; sed propter se non potest primario, & essentialiter respici à natura; quia vt sæpe dixi, est modus, ac per consequens est actus secundarius in ordine substantiæ, & secundarius actus non potest primario respici, sed secundario ab illa re, quæ primaria est in aliquo ordine; vti est natura substantialis.

Ergo ex his omnibus euidenter sequetur sup-

positabilitatem non esse actum essentialem naturæ, quia non est primarius in ordine in quo est natura, quia non est res, sed modus; si autem esset res, sine dubio esset actus essentialis, quia primario, & essentialiter respiceretur à natura, vt patet ex supradictis, & sic ex supposititate, & natura componeretur quoddam totum per se essentialiter, quod apertissime patet exemplo materia primæ, ipsa enim incompleta potentia est, & respicit, quatenus incompleta est tam substantiam suam, quam animam rationalem, & nihilominus animam rationalem respicit primario, & essentialiter tanquam actum essentialem ipsius; substantiam autem non respicit primario, & essentialiter, sed potius secundario, & nulla potest alia à priori ratio reddi huius discriminis, nisi naturæ vtriusque ratio, nam natura animæ rationalis est substantia realis, & actus primarius in ordine substantiæ, quia est res; substantia autem est modus, & ideo in ordine substantiæ est secundarius actus: ergo non mirum, quod primario respiciatur anima rationalis, & quod substantia respiciatur secundario, ac proinde quod anima rationalis sit actus essentialis, & substantia non sit actus essentialis materia: ergo si supposititas est actus substantialis realis absolute, & perfectio realiter perficiens naturam, sine dubio primarie, & essentialiter respicietur ab ipsa, & sic erit actus essentialis illius constitutus cum natura quoddam totum essentialiter per se, de quo interrogo an sit creatum, vel increatum, non increatum, vt de fide certum est, loquimur enim in Angelo, vel in homine: ergo est creatum; sed omne creatum est limitatum finitum, & ultimo terminatum; sed omne terminatum, finitum, & limitatum actuale debet esse ab actuali fine, limite, & termino: ergo illud compositum essentialiter debet habere limitem, finem, ac terminum actualem; atqui talis terminus, & finis non est essentialiter, aut de essentia illius, quia terminus est extra essentiam rei, cuius terminus est, vt patet ex dictis in *Logica in lib. perierm*. Et constat ex illo Arist. terminus est intra quod omnia primi, & extra quod nihil est accipere primi: ergo terminus, finis, seu limes huius compositi essentialis ex natura, & supposititate debet esse absolute extra essentiam illius, ac per consequens nullo modo potest esse actus essentialis talis compositi: ergo non potest esse supradictus terminus finis, & limes, res, sed modus, quia si esset res, vt supradictum est, esset actus essentialis, quia ex ipso componeretur aliquod essentialiter per se, de quo iterum interrogaremus, an esset limitatum, & terminatum, si terminatum: ergo per aliquem terminum distinctum à parte rei ab ipso, & extra essentiam ipsius, quia non est limitata, nec terminata res per se ipsam, nec per aliquid essentialiter sibi, de quo termino interrogabo, an sit res an modus; si res, iterum redibit idem ipsum argumentum, & procedetur in infinitum, quem processum lumen ipsum naturale dicitur esse vitandum: ergo est modus, sed terminus substantiæ realis, & compositi essentialiter substantiæ, est supposititas: ergo supposititas est modus, & non res.

31 Vergetur, quia si esset res vt ex supradictis patet, esset actus substantialis realis, & sic esset forma substantialis hominis, ex quo maximum absurdum sequeretur, nimirum quod in vno composito essentialiter vti est homo, deor duplex forma substantialis totalis, quod nec ipsi aduersarij

Quæst. III. An positium quod addit, &c. 73

aduersarij concedunt alias ex tali concessione eruerent necessario omnia absurda, quæ deducta fuerunt in *Physicis*, contra Scotum asserentem dari formam corporeitatis in composito substantiali, quæ maxima sunt.

32 Ultimo sic probatur, quia inhærentia accidentis ad subiectum est modus oppositus respectu supposititalitatis, & est quasi ultimus terminus, seu modus talis formæ secundum existentiam eius; accidens enim quamvis ex vi suæ existentia sit aptum, & propensum ad inhærendum, non tamen est actu inhærens ex vi solius existentia, sed indiget speciali modo inhærendi, qui est veluti ultimus terminus existentia ipsius; igitur opposito quidem modo, tamen proportionabili, intelligendum est in substantiali natura; quod licet sit actualis entitas per existentiam suam, ex vi talis existentia præcise sumptæ, non est subsistens, sed indiget modo per se ellendi, quo ultimo terminatur existentia naturæ, ut in se sit sine dependentia ab aliquo substantante: ille ergo modus complet suppositum & habet rationem supposititalitatis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

33 AD primum argumentum nego maiorem, ut patet ex dictis latissime in probatione nostræ conclusionis, ubi varios modos ostendimus, qui non sunt determinationes ad aliud, sed absoluti: ad probationem illius maioris respondeo, à P. Hurtad. non numerari omnes modos, & sic non mitum, quod in tali numeratione non reperiatur aliquem modum, qui non sit determinatio ad aliud: ad probationem minoris dico, supposititalitatem nihil aliud esse, quam ultimum terminum naturæ substantialis completæ, qui ex eo quod ultimus terminus sit, petit necessario ut sit modus & non res.

34 Ad secundum nego quod Verbum diuinum non possit supplere effectum modi, si talis modus sit terminus naturæ, & supposititalitatis illius, & ratio euidens à priori est, quia Verbum diuinum est suppositum formalissime includens formalissimam supposititalitatem, ratione cuius ipsum Verbum in esse suppositi constituitur, ipsa autem supposititalitas Verbi diuini est increata supposititalitas eminenter continens omnem supposititalitatem creatam ratione diuinitatis incluse transcendentaliter in ipsa supposititalitate, seu relatione personali, quæ etiam terminus ultimus diuinitatis dicitur: atqui omne quod continet eminenter aliud, potest supplere vices illius quod continet eminenter; ergo supposititalitas illa Verbi diuini poterit supplere effectum supposititalitatis creatæ, licet ipsa supposititalitas creatæ sit modus, ex alio autem capite cum Verbum diuinum, & supposititalitas ipsius non sit formaliter forma substantialis, non continebit eminenter formam substantialem, nec æquiualebit ipsi, sed potius repugnabit supposititalitati diuinæ esse formam substantialem formaliter, ac per consequens repugnabit etiam supplere effectum formæ substantialis; nam, ut certum est, apud omnes Theologos, supposititalitatem diuinam non posse exercere causalitatem aliquam intrinsecam sive materiale siue formalem, quia nec est materia, nec forma formaliter, at vero in sententia omnium potest supplere effectum substantialem, quia sub-

sistentia diuina est vere & formaliter talis, & terminare naturam non dicit imperfectionem ex parte terminantis, quam dicit, quæcunque vera informatio formæ, scilicet incomplementum essentialiale, quia forma essentialiter est incompleta, ita ut incomplementum eius ita conuertatur cum forma, ut nullo modo possit concipi forma sine incomplemento essentiali, cum vero maxime repugnet incomplementum essentialiale Deo, inde est quod Deo repugnet etiam ratio formæ essentialis, quod non contingit in termino, seu supposititalitate ut sic, & ideo omnes vnanimiter concedimus in Deo rationem supposititalitatis formaliter: ergo signum est rationem formæ ut sic formaliter sumptæ includere imperfectionem aliquam, ita conuertibilem cum ratione formæ, ut nullo modo possit adhuc in ratione præcisißima purificari à tali imperfectione, ratione cuius negatur ab omnibus catholicis Verbum diuinum posse esse formam, ac posse munus formæ exercere; posse tamen exercere munus terminandi, & suppositandi, quia terminare ut sic, & suppositare nullam perfectionem dicit, sed magnam imperfectionem; unde licet terminus creatus sit modo, & terminet modaliter, non poterit Verbum diuinum, ablatis imperfectionibus modi terminare eminentiori modo humanitatem, in qua nulla implicatio potest reperiri.

Ad tertium argumentum concedo maiorem, & nego minorem, ad eius probationem concedo ite maiorem & nego minorem, quia substantia siue sit res, siue sit modus inniti necessario debet in natura, cum ab ipsa fluat efficienter media actioneeductiua per modum emanationis, dicere enim substantiam illam à Deo solum produci, nec esse effectum alicuius causæ creatæ, existimo paradoxum, & inane, ut postea probabitur; quare si ab aliqua causa creatæ attingitur necessario, ab illa sit per educationem, atque adeo per innitentiam, & substantiationem sui ipsius in alia, id vero quod in ipsa minori dicitur, naturam scilicet inniti substantia absolute negandum est, si intelligatur de propria innitentia, & substantiatione, natura enim à substantia solum pender, ut à termino, & non ut à substantante, nec confutatio responsionis facta ab Albertino, scilicet effectum formalem, quem confert forma præhabendum à forma non solum ut quo sed etiam ut quod, nihil vrget; forma enim confert esse formatum materiæ, & tamen forma ipsa non est ut quod, formata, item efficit ens completum secundum speciem, & tamen ipsa non est completa ut quod, sed simpliciter incompleta: non ergo in vniuersum verum est, ut id quod forma alicui confert, ut quo præbeat in se ut quod, sufficit enim ut præbeat ut quo quantumvis considerata ut quod talis ipsa non sit.

Ad quartum concedo maiorem & nego primam & secundam consequentiam, quia neutra sequitur ex limitatione naturæ; non prima, quia etiam substantia creatæ quantumvis res sit, est finita & limitata, est enim creatura; vel ergo de ratione entis finiti, & limitati est ut indigeat substantante, vel de ratione entis finiti, quæ sit natura, si primum indiget: ergo ipsa substantia vterioris substantante, sique in infinitum abeundum, si vero secundum petis principium, ut de se patet, ex quo sit, neque secundam consequentiam subsistere (nittebat enim in prima) vtrum vero ex conceptu naturæ finitæ colligatur substantia seu ex terminus naturæ rei ab ipsa distinctus, dicā alibi.

I. P. Tom. II.

K

QVÆSTIO